



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 9. De variis ditionibus huic regioni insertis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

conatus erat ab Andreâ Auriâ, vt vrbi arcem imponeret, quod cum neglectâ etiam salute Auriâ repudiasset, alium excogitauit modum Genuæ sibi addicendæ. Nam iis emunxit pecuniam, spe ingentis fœnoris, quod & fecit filius eius Philippus, sed vterque miseris Genuensibus illufit fœpius, plurésque vbique terrarum decoquere coëgit; quæ pluribus leges apud Thuanum lib. cxvii. ex quo ista mutuati sumus.

§. 2. De variis ditionibus huic regioni insertis.

SEPTEM præcipuæ numerantur Dynastiæ, seu Principatus, Monachij, Principatus Oneliæ, & Comitatus Marri, Finalij Dynastia, Pontremoliense Territorium, & Marchionatus Toreliæ, Comésque Quensis.

PRINCIPATUS MONACHII, *Principauté de Monaco*, aliter de *Mourgues*: Grimaldorum est. Olim vt volunt Genuenses an. 1214. Monachium ab Imperatore Reip. suæ fuerat attributum, sed fœuientibus Genuæ factionibus Veterum Nobilium & Nouorum, summam sibi auctoritatem hinc Grimaldi vsurparunt, & rerum potiti sunt. Carolus V. Imp. relictis huius ditionis vestigalibus, & addito Marchionatu Campaniæ in Regno Neapolitano Principi Monachij, vrbi & castro præsidium Hispanicum imposuit, & ab Hispanis ad nostram vsque ætatem hæc regiuncula retenta est, Principe hinc precariò tantum dominante, sed ante aliquot annos Honoratus Grimaldus vir fortissimus & prudentissimus graue iugum excussit, Francorumque in partes transiit; ideoque factus est Dux & Patricius Valentinus in Delphinatu, & plus accepit à Rege Franciæ quàm poterat ab Hispano sperare. Percipiebat olim annui redditus octoginta aureorum millia, nunc supra centum recipit. In libello de Principibus Italiæ dicitur idem Corregij Dynastia.

PRINCIPATUS ONELIÆ, & COMITATUS MARRI, *la Principauté d'Oneglia, & le Comté de Marro*, Sabaudicæ ditionis, sed ante aliquot annos vtrâque ditione potiebatur Hispanus, easque seruabat, nunc redditæ sunt Mauricio Sabaudicæ, qui exinde Princeps Oneliæ dictus est.

MARCHIONATUS TORELIÆ, *le Marquisat de Toreglia* supra Genuam, & ultra Apenninum porrigitur; possidetur ab Auriis, les
Do-